

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-sexto Novembris.

M. RAYMUNDO FINOT, Doctore Medico, Præside.

An quò fluxilior Sanguis eò sanitas firmior?

I.

QUANTUM conferat ad vitæ modulum Sanguinis ratio, satis intelliget qui ritè norit indolem illius lactis æmulam, cogi facilem, molem prætereà & velocitatem; molem requiris? librarum circiter viginti, per cor interim ferè tredecies singulis horis evolvendam; norit imprimis vasorum quæ præterfluit copiam & exilitatem; copiam quid dico! an non? totum corpus vasorum strues est, ut etiam vasa sint quæ ossium specie oculos feriunt. Apage poros & foramina: conspiratio quidem una; confluxus unus, συμπαθέα πάντα, ast per tubulos & canales. Fidem superat exiguitas vasorum quæ præterlabitur, desunt oculis microscopia; Capillos dicis? imò nec centesimam capilli unius partem æquantia, ut si contuleris fluvios dicas quæ nudus oculus assequi potest. Palàm est non alitèr enasci Morbos, quàm perturbato, impedito, cessanteve quadamtenus eo motu cujus perennitate stat vita, sanitas viget. Motus hic circuitus est, nondum satis, nec satis unquam intellectus, verè motus princeps, à quo succi omnes motûs sui modulum, mensuram, determinationem accipiunt. Ludunt qui ad solvenda Secretionum ænigmata cribrorum copias adhibent & incernicula, oscillationes, configurationum ludibria: ridendi imprimis qui fermentorum

agmina ceu furtivos genios instruunt. Localis motus satis est, qui si vegetus & æquabilis, unicus est, functionum omnium auctor & conservator. Motus intestinus non tam motus quàm nisus ad motum, quid enim potest unius ratio ad mille? si quid ergò motûs intestini est, illud totum à morbo est, quantùmque vi morbi de motu principe decedit, tantùm accedit intestino: serie reciprocâ ita conjuncti, ut si integer ille, nullus hic; auctior, quò ille tardior. Hâc geminâ lance pendet sanitas, ingruunt morbi; sanitas perennis. si perennis motus; perennitatem facit sanguinis indoles, si tenuis, si fluxilis, si per angustias meabilis: tenuitas sanguinis à coctionis integritate: coctio succorum est per trituram solutio ab ore ad habitum non interrupta: integram faciunt Ventriculi commolentis motus reciprocus, Cordis impulsio, Pulmonum nisus, Arteriarum compressio: Pulmo viscus sanguisorbum, nec illepidè chylisorbum dixeris: reverà præcipuum subigendi terendique chyli instrumentum alterno motu, aëris allapsu, allapsu non permixtione, gravitate & vi elasticâ non adscititii salis virtute. Sic attriti subactique succi solutâ cohæsione ad eum tenuitatis gradum veniunt, ut osculis secretoriis minores, cum non possint universi per vias convehi patentiores, nullo mutuæ configurationis aut fermenti subsidio facilè cogi possint in ea loca in quæ resistentia minor faciliorem aditum parat: nec priùs cessat vivificus ille trituræ motus & secretionis, quàm apertis cutis spiramentis extrà circuitûs aream propulsi succi tenues in auras abeant. Hinc ut à coctione læsâ læsa transpiratio, sic nutritium est quod transpirat non excrementitium. Hinc denique mutua illa respirationis & transpirationis æqua proportio. Palàm est perspirationis opus non tam ad cutem quàm ad ipsos vitæ fontes pertinere, inchoatum in præcordiis, absolutum in planitie, ut plerumque minus transpirent qui magis sudant.

I I.

TRIA ergò sunt ferè coæva quæ sese mutuò excipientia vitam faciunt & tuentur, succorum perennis circuitus, tritura jugis, nec interrupta secretio: alterum si defecerit, corruunt reliqua. Secretione imprimis sanitas constat, adeò plura sunt quæ jugiter secerni debent, non excrementia solùm, sed utilia apprimè; serum, lympha, bilis, succus nutritius &c. Quid enim aliud Nutritio est quàm secretio? in secretionis ergò læsione quærenda est Morborum multò pars maxima: hanc lædunt penè innumera,

nil magis quàm ſanguis ſpiſſior igneâ vi prægnans, ſpiſſior continuâ chyli affuſione; hic ſi pinguior & exuberans partium implicatione craſſeſcit, bile turgidulus inæſtuat, & igne concepto torretur ad corneam uſque mollitiem: ſi macer & aſperior, liqueſcit in ſerum & mucilagines in cohæſionem pronas. Si dubitas, fidem adſtruet detractus ſanguis æmulâ glutinis & gelatinæ cruſtâ ferè ſemper obductus, adſtruent ea quibus alimur, ſi legumina, ſi cerealia, gummoſam promunt viſcoſamque ſubſtantiam; ſi animalia, gelatinam, utramque cogi facilem, promptam aceſcere. Ignea vis à ſpiritu acido: quemadmodum enim ſanguis, ſerum ſanguinis, vitellus ovi & albumen ipſum affuſo vini ſpiritu concreſcunt in offam, ita ſpiritus ille acidus auræ inſtar latenter ſerpens ſui perfuſione ſanguinem ſtringit, lympham exaſperat, bilem acuit primùm, invertit ſenſim, enecat tandem, & ſi fixior cogit ad calculos uſque: ſic perit nativum illud volatile oleoſum quo ceu vitali rore condîti ſucci facilè ſolubiles rareſcunt, calent, fluxiliores evaſuri; quæ vulgò mala bili adſcribuntur bili non competunt, quin imò bilis penuriâ nulla frequentior Mortis cauſa: reverâ Acidus ille concretionum artifex ſpiritus, & inde nata chyli cum ſanguine vitiata proportio, una eſt & communis Morborum omnium atque adeò febrium cauſa. Hinc amara ferè omnia febrifuga, & de Alkalium gente quæcunque in Morbis ſpecifica audiunt. Errant qui ad explicanda febrium phœnomena multiplices inducunt cauſas, in febribus quidem vulgaribus Acidum exuberans, in Malignis ſeri luxurie deluſi deliquium ſanguinis ab Alkali acerrimo. Speciosiùs impingunt qui malè intellectâ viſcerum colluvie, febrium intermittentium cauſas extrà ſanguinis orbitam quærunt in primis viis. Sanguis ut liquorum omnium, ſic febrium omnium ſcaturigo. Hæc tota quam ais febrium cohors in radice Morbus unus, natura eſt uniuſmodi, nec Morbum unum modis pluribus, ſed uno modo plures febres gigni par eſt: varietatem facit partis affectæ conditio, ſanguinis modus, bilis affectæ ratio, Acidi ſpiritus indoles pro ut imprimis fixior hic aut volatilior; quò volatilor eò nocentior malitiæ febrium auctor, ut potè ſpiritibus facilè ſociabilis: hâc veneni pernicie preſſus utcunque ſanguis lentè mobilis tardiùs fluit, ſuccorum tenax, ſecretioni impar impingit in anguſtias viſcerum; hæret in habitu, auctoque inter moras inteſtino motu incaleſcit, ignemque ſpongioſâ ſui

densitate admissum latè spargit; hinc ardoris sensus & tumultuatio febrilis, eò major quò tardior progressus. Sanguinis motibus Pulsus respondet; pacatus hic si fluxilis ille, incitatior quò ille contumacior, & quemadmodùm sanguinis crasis non tam à propriâ temperie quàm ab æquabili circuitu pendet, ita febris non tam à sanguine quàm ab organis vitalibus naturâ laborante plurimùm incitatis & valido nisu sanguinem circumpellentibus oriri videtur.

I I I.

IGNEAM vim dixeris, an spiritum acidum idem dixeris; hinc nulli citrà summum ardorem magni Morbi vel obvium & urentem, vel arcanum & angentem ut in Malignis. Unde succrescat nocentissimus succus si inquisieris, non aliâ intùs ratione gigni comperies quàm dùm ruptis involucris, fractoque molliorum consortio liber fit & sui juris, tunc dentes exerit, spargitque non mitigatum virus, nec tam movendo vacuandoque inhiberi proventus potest, quàm sorbendo alterandoque. Alterantium dignitas maxima, eo nomine quod ad universalium apicem ferè attingant. An quia Calidum innatum augent vitæ fomitem & pabulum? Sed calidum innatum nullum est à sanguine diversum; is calorem omnem unus promit, nativum si bellè constitutus, peregrinum si malè. An quia spirituum furores, motus inordinatos & explosiones ceu furentes equos compescunt? Sed commenta hæc tanquàm in somnio, iis relinquenda qui circuitûs vim aut non capiunt aut contemnunt; sicut enim cogente corde sanguis suos per tramites ingredi potest regredi non potest, ita cogente sanguine Nervorum Lympha quam Spiritum vocas nusquam retrograda circulum suum impleat necesse est. An potiùs quod compressâ igneâ vi, laxatis fibris, solutoque succorum nexu sanguini fluxilitatem concilient vasorum impervia subire facilem & secretionibus parem? Ita est, hoc enim præstare Morborum omnium radices exscindere est. Alterantium ut dignitas, sic messis ingens: interim haud æqua virtus penuriam utcunque facit, Hysterica, Pleuritica, Hepatica, &c. adeò sua cuique Morbo, sua cuique ferè parti tutela est. Cave tamen credulus existimes ita partium propria ut iis velut affixa hæreant in solatium partis, quin potiùs ita sanguinem movere ut quam contraxit ad has vel illas glandulas afficiendas aptitudinem tollant, deleant. Hæc inter eminent Amara, Chalybeata,

Anodyna, Febri fuga imprimis, quæ dùm eâ quâ pollent partium tenuitate & substantiæ modo Sanguinis & Chyli vitia corrigunt, cum fomite flammam rapiunt. Nec te moveat omissa plerumque prævia solennis evacuatio. Oenopolas consule? An credis vinum effusuros quia vitium capit? quin potiùs vinum acescens injectâ cretâ emendant, generosi cujusdam vini fæce acuunt, renovant; sic tu Bilem supple, duo illa primaria Corporis fluida Sanguinem & Chylum dilue, resera, Sanitas reviviscet. Tibi sit testis ἱερὸν πίκρον, Cortex salutifer Medicinæ vires & magna potentia solus, plus opis quatriduò allaturus, quàm solido mense vulgarium Medicaminum etiam evacuantium eruditus ordo. Te tangit febris hæc alba & tinctus violâ pallor, mortua ambulat, chalybem adhibe, brevi redibit qui te urat nitor & vultus nimiùm lubricus aspici. Taceo Metallica fixa, arcana majora quibus ceu Herculis clavâ edomita narrant Morborum monstra. Quid rursus? Adhuc te terrent τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα Hippocratis quasi recidivas mox factura. Fæx illa febrilis cujus adeò times reliquias Acidum est & succorum cohæsio, nodum solue, cuneos dabit iteratus cortex, facili alueo fluet Sanguis, sequetur Secretio, secura Morbi vindex & Sanitatis assertrix.

IV.

QUID ergò si ea sit in servandâ sanguinis fluxilitate Alterantium vis & potestas? Quem locum habeant majora Medicinæ præsidia? Hæres in vetustate litteræ? rem ipsam attende, maximum ea locum habere comperies. An nescis liquores omnes, atque adeò Sanguinem ipsum motu duntaxat ad sui depurationem venire? Si tamen liber ille & æquabilis motus, liberum facit & æquabilem venæsectio quæ dum Sanguinem accelerat cohæsiones soluit, promovet secretiones, crasin restituit. Tardum dictu: citiùs juvet, tutiùs an jucundiùs? Ut igitur inventa nova, nova sunt mittendi sanguinis argumenta; sic inter Alterantia princeps est & primaria venæsectio. Venæsectioni affinis Purgatio, opus majoris prudentiæ, in quâ non solùm spes habenda maxima, sed etiam timor, quod & prodesse plurimùm & obesse plurimùm possit: hæc, illa imprimis si feliciter cessura, tempore idoneo usurpanda, turgentibus succis etiam in principio. Hippocraticâ προεξευκρινήσει diligenter adhibitâ, Medicum oportet non timidè progredi, ast generosè: interest tamen non temerè incipere, sæpèque in festinatione imprudentia. Turgentes succos non ita velim accipias quasi efferum quid

aut petulcum quod velut œſtro percitum, aut capræ ſalientis inſtar huc illuc ſine lege feratur; abſonum id & à Circuitûs legibus planè alienum. Orgaſmi non una ratio, ἀνέμετος unus: hunc facit fovetque Sanguinis malè ſubacti, ſibique nimiùm cohærentis impedita tranſmiſſio. Sic mole dum premit, æſtu angit, hinc ἀλυσμὸς ille non ferendus & ἄση terroris plena iteratâ venæſectione haud ceſſanter coërcenda: ναυτιώδης alter, hic vomendi libidine & quodam ventris deſiderio ſui ſignificationem facit; hujus cauſa incumbens humorum pondus ventriculum & inteſtina gravans emetico αὐτίκα, aut quod tutius emetico cathartico haud cunctanter exturbandum. Quemadmodùm enim ventriculo cibis oppleto ſi fortè inter coquendum μωλύνσις ſupervenerit, immane quantùm inde turbarum, donec oborto vomitu, aut profusâ aluo vitiati cibi moles proruperit: ita ventriculo humorum copiâ obſeſſo cordis anguſtia, jugis anxietas, nec priùs ceſſat labor quàm vomitu aut citâ aluo fœda proluvies exeat. Alioquin ſævienti Morbo non eſt Catharticis occurrendum, ne illum ipſa ſolatia irritent magis & accendant; aſt ubi fibris jam laxioribus, curſuque ſanguinis utcunque reſtituto tangi ſe fibrillæ ſinunt, tractari ſe patitur humor. His legibus temperata Cathartica non uno titulo amplectenda, ſordes eluunt, Acidum emendant, viſcida reſolvunt, incertum vacuando magis an alterando proficua. Fidem faciat fellea plerorumque vis & amaricans quæ bili congener & affinis vitalem ſuccum erigit, Acidi vim dum infringit. De Ipecacuanha non ſemel obſervatum graves Dyſenterias curaſſe nullo vomitu, nullâ dejectione: Suis tamen nec levibus ſtimulis inſtructa Cathartica, quorum aculeis in motus celeriores velut συμμαχία quâdam incitatæ partes ſenſiles Morbi pabulum, hærentes in vaſis minimis ſuccos halitu cathartici jam ſemiliquatos premunt, exagitant, excutiunt. Viis hâc arte patentioribus factis, ſpes vitæ cum motu redit, quo renovato ventis & amne ſecundo cuncta fluunt, & cum virium robore firmatur Sanitas.

V.

FERE tamen Cathartica quas non inveniunt ſordes faciunt, nec magis ſaburræ ullius evacuatione proficua, quàm eâ quâ pollent tenuandi alterandique virtute, ſuccuſſu imprimis quo inteſtinorum glandulas & excernentia vaſa ſuccorum nexu non fermentationum fæculentiis impedita liberant, tergent. Sic fluxilior Sanguis arcana viarum facilè ſubit, vaneſcunt ſine ſenſu caloris effluvia, nervos

alioquin ardore nimio læſura. Sanguinis fluxilitati par ubique vaſorum flexilitas, miro ſanè concentu : ut enim Cor muſculus eſt ictu reciproco, Sanguinis genio ritè ſerviens, ſic arteriæ fibris ceu totidem muſculis inſtructæ, veriùs dixerim, ſuum eſt cuique parti cor, villo ſcilicet contractili ceu elatere proprio munita quæque pars, à quo ut robur omne, ſic & ſtringi facilè & remitti facilè poteſt, pro variâ ſanguinis & humorum indole; ſtringi, ſi lenti, ſi difficiles, ſi acriuſculi ſucci; remitti, ſi tenues, ſi fluxiles, ſi temperati. Tanta eſt hujuſce conſenſionis vis atque proportio, ut vel minimo receſſui par ſtricturæ modus ſtatim reſpondeat; arctior non eſt ſtylum inter & umbram nexus, conſenſuſue; hinc illi obices & repagula febrium propria, hinc inſidioſa illa irritamenta quæ vacuandi humoris ſpecie ludunt Medicos, fallunt adſtantes, interimunt ægrotos. Purgantium leges quæris & alterantium modulum? ad hæc attende, ne ſtimulando plus noceant & effervefcendo, quàm vacuando proſint alterandoque, naturâ ſcilicet temperata cuncta & partes & humores, ut à minus temperatis effervefcant ſucci, parteſque convulſivè motæ ſtatim reſiliant. Falleris analogiſmo, ſi exiſtimes nullas ideò vigente febre ſecretiones fieri quòd fermenteſcente plus æquo ſanguine quaſi in deſpumationem mox ituro, confuſa omnia, nec colis ullis ſeparabilia. Nil habet ſanguis cum muſto commune, ſucciſve crudis ad fermenteſcendum pronis, nec per ſalium luctas & certamina contingunt febres; in ſanguine quidem & ſuccis ipſis, ſed cum proprio, tum ſtricturæ vitio paſſim hærentibus quærenda criſeos remora & ſecretionum impedimenta. Nec audiendi ſunt illi qui ut pueris placeant & declamatio fiant, ſordentes aiunt ſuccos detracto ſanguine è primis viis in venas rapi velut exantlatione quâdam. Faciles nimiùm qui non advertant per venæſectionem laxatis fibris, remiſſoque vaſorum excernentium elatere ita fieri cuncta ad fluendum paratiora, ut vel ſub ipsâ etiam detractione ſponte feratur alvus bonis ægri rebus. Taceo ineſſe bili quid viſcidius minuſque fluidum & facilè adhærens quod lacteis impar craſſiori chylo ſemel commixtum unà in fæces abeat neceſſe eſt; ut ſtet à veteribus ritè ſancitum, quoties utriuſque præſidii majoris æqualis occurrit neceſſitas, à venæſectione toties auſpicandum. Huic effato ritè concinit aureum illud, corpora fluida facere oportet: vides qui ex hypotheſi ſapis & conſulis ignoratas quidem veteribus circuitûs leges, at non

ignorata circuitûs auxilia, adeò efficacissimus Medicinæ magister usus. Fluida faciunt corpora fluxiles ſucci, flexiles tubuli: glandulæ in eum finem humido multo deobſtruendæ. Conducibilis eo nomine largior potus, non quia temperat, ſed quia diluit; ſalubriùs degunt qui largiùs bibunt. Increbruit hâc ætate aquæ calentis uſus, plurium commodo, reverâ nil meliùs tutiùſve diluit quàm aqua calida, potiſſimùm ſale quodam volatili oleoſo ſed nativo leviter armata, qualis eſt infuſione herbæ Theæ: leviter dico, ne plus moveas. Salia ignem experta quia æſtuoſa, in hâc Bilioſorum hominum, in hâc Hypochondriacorum ſegete molli ſuſpensâque manu uſurpanda, ſecuriora cibis inter edendum partitim mixta, maximi eſt ad vitam momenti non exſiccari viſcera, præſtatque vias humoris ubertate apertas tenere. Hinc magna ſanguinis pars & vis præcipua, ſeroſus latex, qui dum copioſiore ſui mixturâ ſuccos diluit & circumvehit, eoſdem mobiliores & actuoſiores reddit, inde fluiditas major, felicior ſecretio, verbo dicam, hæc illa eſt diluentium virtus & neceſſitas ſanguinis motum tutò promovere. Sanguinis motu vita continetur atque adeò Sanitas, motu vario varii vitæ gradus; motus hic ſi perennis futurus ſit, tenuitate plurimâ, plurimâ fluxilitate opus, quò ingens ſuccorum moles & varietas à concretione tuta per vias oculis impervias trajici celeriter poſſit, hærere nullibi. Sic ab unâ Sanguinis dote bonorum cumulus, & unius æſtimatione omnium integritas vitiumve terminatur.

Ergò quò fluxilior Sanguis eò ſanitas firmior.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Petrus Marais.
M. Joannes Baptiſta Dodart, Sereniſſimi Ducis Aurelianenſium Medicus primarius.
M. Petrus Daquin, Medicus Regis ordinarius.
M. Carolus Contugi.
M. Philippus Douté.
M. Joannes Cordelle.
M. Franciſcus Vernage, Facultatis Decanus.
M. Amandus Douté.
M. Petrus Yon.

Proponebat Pariſiis ANTONIUS PEPIN, Pariſinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1702.

Apud Viduam Franciſci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.